



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Vndecimus Imperator. Zuius. Imperavit annis XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

DECIMUS IMPERATOR
HOTANKIAU S.

Imperavit annis IX.

Cycle 20. anno
24. ante Chrys.
sum 1534.

HIC V A R I G N I frater natu minor sceptrum adeptus, quod ille sine prole extinctus esset immaturâ adhuc ætate: ob Crocei fluminis inundationes denuo sedem regiam mutavit, loco editiore delecto ad S I A N G , quæ H O N A N A E provinciæ olim civitas, hodie K I N G T E appellatur. Neque hic quidquam memoriam dignum gessit; uno tantum filio, quem optimum reliquit, imperij successore felix.

V N D E C I M U S IMPERATOR.

Z U I E U S.

Imperavit annis XIX.

Cycle 20. anno
33. ante Chrt.
sum 1545.

IS Z U I E U S fuit, cui post obitum Pacifici cognomen adhæsit, subiectam gentem, quoad vixit, in profundissimâ pace continentis. Quâ in re magno illo adjumento Colai summi Præfecti virtus fuit. Hoc enim nomine Colau m, quod adjutorem seu privatum significat, Sinæ vocant. Quâ voce nos etiam utemur deinceps, ut eum à ceteris, summis item tribunalium Præfectoris discernamus. Hujus ergo Colai, cui nomen H I E N T U S , virtute ac prudentiâ effectum, ut reguli beneficiarij omnes, nec pauci dynastæ summo consentu & amore pari Z U I E U M ut Imperatorem amplecterentur; promissimi semper ad reverentiam obsequij.

Etsi verò jam supra de regulis ac dynastis illata mentio est, quales fuerint & unde; hoc tamen loco denuo notari velim, eos omnes ex imperatoriâ stirpe vel filios, vel nepotes fuisse. Nam unâ in familiâ penes unum duntaxat suprema potestas erat; reliqui dignitate regulorum

gnorum insigniebantur, attributâ ditione & vestigalibus, quæ splendorem generis non offuscarent. Sed deinceps nonnullos dicemus, quos huic ordini merita sua extra ordinem inferuere. Id adeò sub hoc Imperatore factum, qui H E N I U M hac dignitate primum donavit, nunquam tamen à se abire passus, quo carere non potuerat, suóque regno ante omnes fideli.

DUODECIMUS IMPERATOR.

Z U S I N I U S.

Imperavit annis X VI.

ZU S I N I U S Z U Y E I filius in aditu imperij iugiorum materies^{Cyclo 20. annis} fuit; &, nisi obviām esset itum in tempore, jamjam in bellum^{52. ante Christum 1506.} gliscerentium. Magna patruos inter ac nepotes pro regno contentio fuit. Illi tanquam ætate priores affectabant imperium; hi paternam successionem jure naturæ fulciebant. Litem diremit H E N I U S usu rerum & autoritate pollens, & à Z U S I N I O, factione utraque omissā, pronunciavit. Sed his paria, imò pejora suis quæque locis referentur, ab unā dominandi libidine, quæ nec sanguine junctis parcit, & omnia pro utilitate dispensat, orta. Hujus tamen imperium, ubi cognatorum lites consenuere, perpetuā pace floruit.

DECIMUSTERTIUS IMPERATOR

VOKIAVS.

Imperavit annis X X V.

HIC per vim illatis contra nepotem armis imperium obtinuit, in-
justum quidem illud, diuturnum tamen & felix. Ejus filium,^{Cyclo 21. annis 5. ante Christum 1490.} quem sibi successorem destinaverat, spei & ambitionis irritum
nepos ejecit, ut ei præclusa esset in præsens omnis ad imperium via.

DECIM-